



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Sectare Iusticiam &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

I I. E P I S T O L A A D

est, scilicet prædicatio pœnitentie, & promissio gratiæ, & quod utrumq; præceptum uniuersale est, uidelicet, ut omnes & singuli agamus pœnitentiam, & omnes & singuli credamus in filium Dei. Ad hoc fundamentum congruunt hæc dicta: Deus uult omnes homines saluos fieri. Item Act. 10. Rom. 2. Apud Deum non est acceptio personarum. Has consolationes tenere utile est ad refutandas multas questio[n]es, & ad reprimendam tentationem de particularitate.

Sic ergo intelligatur Paulus hoc loco de muneratione: *Mundes te*, id est, agas pœnitentiam, agnoscas errores & delicta, & doles, & credas Euangeliu, hæc cum fiunt, audita uoce Euangelij, simul Spiritus sanctus est efficax in uoluntate non repugnante, sed luctante cum dubitatione & petente auxilium.

Sectare Iusticiam &c.

Intelligo Iusticiam uniuersalem, id est, obedientiam iuxta omnia præcepta Dei. Quaque autem deinde adduntur nomina specierum, que inclusæ sunt in uniuersali iusticia, tamen non esse inusitatum posito toto aliquas insignes parties deinde nominatim recitare, præsertim cum id singulari consilio, ut h̄ic uult monere Paulus, in placere obedientiam, quando coniuncta est cum fidu-

fide, ideo expreſſe addit nomen fidei. Iactant obe-
dientiam & hypocrite, ut Luc. 18. sed neceſſe eſt
in Ecclesia ſemper in conſpectu eſſe hanc Regu-
lam Psalimi 143. Non iuſtificabitur in conſpectu
tuo omnis uiuens. Sed quod certò habeamus re-
miſſionem peccatorum, & imputationem iuſticiæ
propter Mediatorem, ſola fide, non propter no-
ſtras uirtutes, ſicut ille Phariseus Luc. 18. ſom-
niat.

Postea nominat dilectionem & pacem, ut op-
ponat hoc contentioſis, qui prætextu iuſticiæ mo-
uent non neceſſaria certamina, de quibus dicitur
Rom. 10. Habent zelum, ſed non ſecundum scienti-
am, ſicut de Paſchate, de fermētato olim rixæ fue-
runt, & multæ nunc ſunt fuliliores, ut de dormi-
tione animarum, & an Noë mures induxerit in
Arcam. Et ex ſequentiibus apparet nomina dilec-
tionis & pacis hic expreſſa eſſe, ut maiore cura
retineatur in Ecclesia concordia. Quia mox addit
inſignes admonitiones, que continent multa illu-
ſtria uerba. Manifestum eſt autem neceſſariam eſſe
uirtutem, dilectionem & ſtudium retinendæ con-
cordie, haec autem retineri non potest, niſi infir-
mitates aliquas in alijs placide toleremus,

& omittamus rixas de aliquibus
non neceſſarijs quæſtio-
nibus.

PRO